MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81401-14

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

CAESAR, JULIUS

TITLE:

DISPUTATIONEM DE ARISTIDIS QUINTILIANI...

PLACE:

MARBURGI

DATE:

1883

Master Negative #

93-81401-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
  ... BOOKS          FUL/BIB   NYCG93-B2893              Acquisitions      NYCG-WMK
FIN ID NYCG93-B2893 - Record 1 of 1 - Record updated today
UNI
  ID:NYCG93-B2893
                              RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:    EL:u      AD:04-01-93
  CC:9667   BLT:am      DCF:    CSC:d   MOD:    SNR:      ATC:           UD:04-02-93
  CP:gw      L:lat      INT:    GPC:    BIO:    FIC:0     CON:
  PC:s      PD:1883/            REP:a   CPI:0   FSI:0     ILC:           II:0
  MMD:d     OR:?    POL:b   DM:d    RR:d???     COL:b     EML:a     GEN:c  BSE:a
  040       NNC=‡cNNC
  100 1     Caesar, Julius,=‡d1816-1886.
  245 10    Disputationem de Aristidis Quintiliani musicae scriptoris aetate.
  260       Marburgi,=‡bTypis Academicis R. Friedrich,=‡c1883.
  300       [III]-XIV p.
  500       Issued in the "Indices Lectionum et Publicarum et Privatarum quae in A
        cademia Marburgensi." October 15, 1882 to March 15, 1883.
  600 00    Aristides,=‡cQuintilianus.
  LDG       RLIN
  QD        04-01-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 14X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5/12/93   INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0

INDICES

LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCLXXXII USQUE AD D. XV. M. MARTII MDCCCLXXXIII / II

HABENDAE PROPONUNTUR.

Disputationem de Aristidis Quintiliani musicae scriptoris aetate praemisit *Iulius Caesar*.

MARBURGI.

TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Cum iam in eo esset, ut indices lectionum per semestre hibernum, quod proxime instat, habendarum emitterentur, in manus eius, cui praefandi munus iniunctum est, tempore opportuno venit Aristidis Quintiliani librorum de musica nova editio, quam Albertus Iahnius vir doctissimus Bernensis pridem exspectatam Berolini sumptibus Calvaryi nuperrime foras dedit. Quo in libro quoniam eae res maxime tractantur, quibus ipse et in opere de Aristidis doctrina rhythmica ante viginti fere annos edito et in prooemio indicibus lectionum inde ab auctumno a. MDCCCLXII habendarum praemisso operam dedit, haud alienum visum est paucis exponere, quid novi in ea editione hominibus doctis, quibus haec doctrinae studia curae sunt, oblatum sit. Et cum in hoc negotio sua res ei agenda sit, non improbari speramus formam orationis applicatam ad eius qui praefatur personam.

Promittit igitur novus editor Aristidem Quintilianum, cuius tres libri hucusque in una tantum Meibomiana antiquae musicae auctorum septem editione (Amstelodami MDCLII) coniuncti in lucem prolati sunt, partes autem ad rhythmicam et metricam disciplinam spectantes recentiore aetate meritam diversorum virorum doctorum operam in se contraxerunt, nunc primum separatim edendum, e codicibus mss. recensendum, emendandum, annotandum, et huius quidem operis primam partem nunc emissam ita instruxit, ut introductioni literariae e Fabricii et Harlesii bibliotheca graeca desumptae annotationem adderet quaestiones

de Aristidis persona, opere, doctrina continentem, deinde indicem codicum ex Harlesiana istius bibliothecae editione promeret et ipsum sua annotatione et additamentis adauctum, denique textum quem dicunt graecum adiungeret cum brevi annotatione de diagrammatis, figuris, scholiis codicum; ipsum autem apparatum criticum simul cum commentario alteri operis parti haud ita longo temporis intervallo secuturae destinavit.

Primaria autem de Aristide Quintiliano quaestio ad eius aetatem pertinet. Qua de re cum ego aliter statuerim atque antea fieri solitum est, et plerorumque qui hanc rem attigerunt assensum tulerim, Iahnius priorem sententiam defendendam suscipit. Cuius argumenta num ita comparata sint, ut ad eam quae mihi probabilis visa est sententiam iam deserendam cogamur, videamus. Meibomio auctore vulgaris fuit opinio, Aristidem ante Ptolemaeum scripsisse, quod tredecim Aristoxeni et quindecim aliorum de musica scriptorum tonos s. modos commemoraverit, Ptolemaei autem de septem tonis doctrinam neglexerit, atque fere Plutarcho supparem eum fuisse, exeunte igitur primo post Christum saeculo floruisse plerique statuerunt. Quod argumentum non multum valere equidem dixi, si aliae res obstare videantur, cum Aristides in illa doctrina explicanda Aristoxenum et Aristoxeneos sequatur non aliter atque alii, qui posteriore aetate de harmonia scripserint nova Ptolemaei praecepta parum curantes, quae ne nova quidem esse sed ex antiquorum doctrina desumpta iam Boeckhius de metris Pindari p. 218 monuerat, et cum apud veteres de hac disciplina scriptores non tanta fuisse videatur Ptolemaei auctoritas, quantam ei tribuendam esse sumant qui ex eius praeceptis aut commemoratis aut neglectis iudicium de dubia scriptorum aetate pendere velint. Accedit, quod opus a Ptolemaeo a. 167 mortuo, ut Martinus Francogallus docuit, ad finem non perductum ab homine, qui encyclio modo de his rebus tertio saeculo scripsit, neglegi poterat. Eis quae dixi non aperte oblocutus Iahnius ea ipsa argumenta, quibus commotus ad tertium demum saeculum Aristidem retulerim, elevare studet. Et primum quidem (p. XXI sq.) negat, ex vocibus et sententiis quibusdam, in schola recentiorum Platonicorum usitatis, Aristidem post Plotinum vixisse et Neoplatonicum fuisse recte me conclusisse. Scilicet ab eo praeter Platonem*) Pythagoreorum maxime doctrinam laudari dixeram, hanc

*) Falso me dicere ait Iahnius, Platonem simpliciter *σοφόν* appellari, eosque locos affert, quibus *ὁ θεῖος* laudetur et omnino Platonis ratio habeatur. Quasi vero hoc ego negare aut ignorare potuerim! Nihil aliud mihi volui, nisi simplici adiectivo significari uno loco, quem attuli (p. 155 M.), Platonem nomine non addito, ut quanam auctoritate apud eum valeret philosophus hoc exemplo indicarem. Ceterum latius patere illius epitheti usum et apud Aristidem et apud alios eiusmodi scriptores constat.

ipsam autem Platonicae et Pythagoricae doctrinae coniunctionem minime quidem obstare eorum sententiae, qui Aristidem pari cum Plutarcho loco in eorum Platonicorum, qui Pythagoreorum sentiendi et dicendi genus sectarentur, numerum esse referendum censerent, neque id esse praetermittendum, posterioris Neoplatonismi fontes in ipsa Neopythagoreorum doctrina quaerendos esse, attamen reperiri apud Aristidem nonnullas opiniones Plotini et Porphyrii eorumque scholae proprias, quarum apud priores ne ullum quidem vestigium exstaret. Qua in re cum praeter alios Zellerum (Philos. d. Griechen III, 2. ed. III. p. 678) assentientem habeam, audiamus quid Iahnius opposuerit, mea argumenta breviter complexus his verbis: »Et voces quidem Aristidi cum Neoplatonicis communes hae a Caesare commemorantur: *ἑνάς*, tamquam divinitatis nomen, *ἑνιαῖος* in locutione *ἑνιαῖος λόγος*. [Alia praeterea huius adiectivi exempla e Neoplatonicorum genere dicendi attuli.] Sententias autem neoplatonicas idem hasce apud Aristidem reperiri docet: de descensu animarum ad terras deque corporibus *αὐγοειδεῖ*, *πνευματοειδεῖ* et *ὀστρεώδει* inde assumtis, porro de Homero allegorice explicando, tum de daemonibus sublunaribus et aethereis diverso modo colendis. Esto: voces et sententiae eiusmodi ***post Plotinum*** celebrantur; num idcirco ***propter eundem*** demum in usum venerunt? Minime vero, siquidem Longinus, Plotini aequalis, apud Porphyr. Vit. Plot. 20 diserte testatur*), Plotinum in doctrina sua antecessores, licet ipso longe inferiores, habuisse Numenium, Cronium, Thrasyllum, Moderatum. Quantulum autem, quaeso, ex operibus horum scriptorum superest? Et quis contendere ausit, apud illos nihil eorum, quae Neoplatonici decantent, exstitisse? Immo vero, Longini testimonio innixi, pro veri simillimo habeamus necesse est, tum voces tum sententias, Plotini auctoritate a Neoplatonicis celebratas, iam diu ante Plotinum pullulasse. Tantum igitur abest, ut Aristides Neoplatonicis adnumerandus sit (id quod alii, Caesaris auctoritate**) freti, certatim licet temere, repetunt) ..., ut potius ex philosophis a Longino

*) Longini apud Porphyrium de philosophis aequalibus et paullo superioribus disserentis verba haec sunt ad hanc rem spectantia: *οἱ δὲ καὶ πλήθει προβλημάτων ἃ μετεχειρίσαντο τὴν σπουδὴν τοῦ γράφειν ἀποδειξάμενοι καὶ τρόπῳ θεωρίας ἰδίῳ χρησάμενοι, Πλωτῖνός εἰσι καὶ Γεντιλιανὸς Ἀμέλιος, ὁ μὲν τὰς Πλατωνικάς, ὡς ἐδόκει, πρὸς σαφεστέραν τῶν πρὸ αὐτοῦ καταστησάμενος ἐξήγησιν· οὐδὲ γὰρ οὐδὲν ἐγγύς τι τὰ Νουμηνίου καὶ Κρονίου καὶ Μοδεράτου καὶ Θρασύλλου τοῖς Πλωτίνου περὶ τῶν αὐτῶν συγγράμμασιν εἰς ἀκρίβειαν.* Erant quidem qui Plotinum Numenii placita clam usurpasse dicerent, quam calumniam ut refutaret Amelius Plotini sectator scripsit *περὶ τῆς κατὰ τὰ δόγματα τοῦ Πλωτίνου πρὸς τὸν Νουμήνιον διαφορᾶς.* Cf. Porphyr. l. l. cap. 17. Quaenam ratio inter Neoplatonicos et Numenium intercessisse videatur, exposuit Zeller l. l. p. 434 sq.

**) An argumentis meis rectius quam auctoritate mea qualicunque freti dicendi erant?

commemoratis aetate priores Thrasyllum, inquam, et Moderatum, secutus esse et lacunam, quae ex deperditis eorumdem scriptis orta est, cum Plutarcho aliquatenus explere censendus sit, praesertim quum idem principia pythagorica cum platonicis committere studeat, id quod Longinus philosophos supra dictos iam ante Plotinum conatos esse testatur. Nam quominus Aristidem post Numenium et Cronium vixisse censeamus, plura vetant ...« Denique laudat ea quae de Aristide pythagorissante Platonico dixi, recentioris aevi indicia, quae opinioni olim receptae obstare mihi visa sint, nulla esse ostendisse se affirmat.

Probari forsitan posset haec disputandi ratio, si de testimoniis ageretur, quorum vim auctoritatemque ego dubitationis meae causis infringere conatus essem. At ubi testimonium aetatis nullum exstat externum, sed rationes ad eam definiendam repetendae sunt ex ipso libri argumento et rebus in eo commemoratis comparatione instituta earum quas aliunde cognitas habemus, non recta via procedemus statuentes, fieri posse, ut haec vel illa sententia, cuius apud posteriores demum scriptores vestigia reperimus, etiam in prioribus scriptis exstiterit, de quibus nihil certi traditum sit. Hoc est opinionem praeiudicatam defendentis, non investigantis libero iudicio in rebus dubiis veritatem. De talibus autem hac in re agitur non verbis modo, sed sententiis peculiaribus, quae ad Platonismum illum Plutarcheum non pertinent, et quarum originem ad priores auctores referendam esse demonstrare ille debebit, non per coniecturam ponere, qui Neoplatonismi, in quo reperiuntur, proprietatem quandam in eis inesse neget. Huiusmodi maxime est illa de animarum cum variis corporibus coniunctione doctrina cum Porphyrii psychologia et physiologia conveniens, cui vel maiorem vim in certa de Aristidis philosophia sententia ferenda tribui, quam eis quae de vocabulis Neoplatonicorum propriis *ἑνάς* (nomine divino numini indito) et *ἑνιαῖος λόγος* cautius in medium protuli. Nam imparem esse earum rerum, quas ex Aristidis opere sumptas ponderavi, gravitatem ipse apertius prolocutus sum quam ex Iahnii relatione apparet. Allegoricam autem Homericorum carminum interpretationem non ita in usum meum vocavi, ut solos Stoicos et Platonicos Plotino recentiores eam exercuisse contenderim (Iahn. p. XLIII), sed talem interpretationem, qualem Aristides p. 105 exhibet, convenire dixi cum istorum Platonicorum usu, cuius luculentissimum exemplum exstare in Porphyrii de antro Nympharum libro constat. Quod autem post Numenium vivere non potuisse Aristidem Iahnius perhibet, eius decreti ne ullum quidem argumentum attulit; nam ad hanc rem probandam neque id sufficit quod de Aristide Quintiliano rhetoris Quintiliani liberto per coniecturam statuit (de quo postea videbimus),

neque ea opinio, qua *φιλομουσίαν* ab Aristide laudatam in Hadriani aevum prorsus cadere censet (p. XXX), quasi tale quid ad posteriorem aetatem referri omnino nequeat. Ceterum si concedendum esset, illa de quibus diximus Plotini Porphyriique placita ***fortasse*** ex Numenii disciplina oriunda esse, — quanquam non tam incerta est Numenii memoria, ut mero arbitrio hac in re locus sit (v. Zeller. l. l. p. 216 sqq.), — ne sic quidem Aristidem ex eodem fonte haurientem ad Plutarchi aetatem retrahi liceret, qui plus dimidio saeculo ante Numenium floruisse videtur. De Moderato autem et Thrasyllo sive Pythagoreis sive Platonicis non solum Plotino sed ipso Plutarcho prioribus nihil traditum est, unde Aristidem ea de quibus agitur ex eorum scriptis desumpsisse aliqua cum veri specie colligi possit.

Inter ea quae nimis cupide ad meam de Aristidis aetate sententiam confirmandam persecutus esse Iahnio videor, est illud quod de mystico quodam literae *T* usu ad formam plectri relato dixi, qui non Pythagoreismum prioris aetatis, sed christianae aliquid sapientiae ex Oriente deductae redoleat. Sed id ipsum quod scripsi minus accurate perspexisse virum doctissimum aegre fero, cum rem a me non neglectam, solem quasi deum universi plectrum esse appellatum ab eis qui harmoniam musicam in mundi compositione agnoscebant, contra me proferat. At literam *ταυ*, quam Graeci in solmisatione, quam musici dicunt, cum vocalibus *ε α η ω* coniunctam adhibebant, comparari propter formam cum plectro divini numinis symbolo, id quod Aristides*) facit, in nullo illorum locorum, quos de plectro affert, reperies, sed hoc mysticae Aristidis doctrinae peculiare esse videtur, quam dixi graecam quidem sed non mere graecam, neque e veteribus Pythagoreorum symbolis solis oriundam esse, sed ad ea tempora pertinere, quibus ipsa paganorum doctrina aliquid coloris e crucis, quae cum litera *ταυ* comparabatur, sanctitate assumpserit. Hanc igitur mysticam illius literae sanctitatem non e sola plectri forma, quam Aristides adhibet, sed simul e Christianorum vel Iudaeorum vel, si placet, vetustorum Orientis populorum symbolo a Christianis recepto (de quo et ab archaeologis et a theologis saepe disputatum est) existimavi originem ducere, hanc ipsam autem variarum imaginum quasi colluvionem cum Neoplatonicorum potius quam cum Plutarchei aevi rationibus convenire. Quanquam ***certam*** inde temporis descriptionem non magis assequi, quam hominem e diversis agris fruges colligentem unius scholae modulo metiri volui.

*) Aristides p. 159 M. haec habet: *τὸ δὲ τούτοις συνταττόμενον, λέγω δὲ τὸ τ, αἰθέρι [προσνεμητέον]· πλήκτρῳ τε γάρ ἐστι τὸ σχῆμα παραπλήσιον, ἱερόν τέ ἐστι θεοῦ, ὃν τοῦ παντὸς εἶναι πλῆκτρον ὁ τῶν σοφωτέρων ἀποφαίνεται λόγος.*

Restant quaestiones nonnullae onomatologicae in hac causa graves, de quibus meum iudicium Iahnio non probatur. Et primum quidem de ipso scriptoris nomine dicendum est, quem Aristidem Quintilianum appellatum esse, non Aristidem Quintiliani filium, non solum ex ipsa libri inscriptione collegerunt quantum scio omnes viri docti, excepto uno Buechelero, qui olim (Mus. Rhen. X, p. 451) minus considerate hunc Aristidem Quintiliani rhetoris filium esse coniecit, sed confirmatur grammaticorum Byzantinorum testimoniis, in quibus ὁ Κοϊντιλιανὸς (corrupte Καντιλιανὸς) Ἀριστείδης exstat. Quod in articulo addito Meibomius haesit, sine dubio temere iudicavit, cum in cognominibus Romanorum sive praemissis sive postpositis Graecos modo ponere articulum modo omittere multis exemplis demonstretur. Qua in re quid ego peccaverim a Iahnio vituperatus, quod nomina Σκιπίων ὁ Αἰμιλιανός, Δίων ὁ Κοκκηιανός comparaverim, ut Meibomii dubitationem removerem, non video; nam quaenam causa sit cognominis, in hoc usu grammatico nullius momenti est, modo ne confundatur cognomen, quod antiquo Romanorum usu proprie dicebatur, cum eo cognomine, quod inde a quarto fere saeculo agnominis significatione ab illo distinguebatur; id quod Meibomius fecit prorsus diversa componens. Buechelero autem eatenus assensus est Roeperus (Philol. VIII, p. 462), ut Aristidem patris Quintiliani nomen induisse concederet, nominativo tamen casu additum, ad usum e Romanorum more ad Graecos translatum provocans, quanquam prorsus negavit, M. Fabium Quintilianum rhetorem Aristidis nostri patrem esse potuisse, quod ipsum ego contra Buechelerum monueram. Altera autem ex parte Iahnius suspicionem de arctiore inter hunc Quintilianum et Aristidem vinculo ita in suum usum vertit, ut rhetoris libertum fuisse Aristidem veri esse simillimum affirmet. Qua in re profecto non opus erat exemplis allatis, ut pereruditos homines libertos fuisse demonstraretur. Neque omnino obstamus ei opinioni, Aristidem latinum nomen ab hero patrono adscivisse, id quod saepissime factum esse nemo negabit. Probabile igitur esse videtur, graeco homini, cum civis romanus fieret, patroni romani nomen inditum esse. (Cf. Marquardt Handbuch d. röm. Alterth. 2. A. VII, 1. 1879. p. 24 sq.) At fuerit noster Aristides Quintiliani nescio cuius sive filius adoptivus (nam naturalem Romani filium vix credideris) sive libertus, quanquam aliae quoque rationes facile fingi possunt, quid inde de eius aetate consequitur? Quonam iure prae ceteris illum Quintilianum nobis notissimum huc trahere licet? Audiamus Iahnium ipsum (p. XXX): »nam Aristides haud uno loco operis sui mire quam consentit cum illo in iis quae in Institut. orat. de musica deque optima educandi ratione docentur ... Porro scripsisse Aristidem Hadriano imperante, concludas

ex eius verbis, a Caesare frustra elevatis, p. 75 *νυνὶ δὲ τοσαύτης ἐπιπολαζούσης φιλομουσίας*, quae in Hadriani aevum prorsus cadere ex historia litterarum apparet, quamvis Aristides adiectis verbis: *δεῖ γὰρ εὐφημεῖν*, haud obscure significet, se illum, quem tangit, Musarum artiumque amorem haud pro genuino, sed pro facticio habere«. De universa artis musicae utilitate et in educatione usu inde a Platonis aetate a multis similiter iudicatum esse, satis notum est. Atque si re vera ad nullum alium in tali disputatione propius accederet Aristides quam ad Quintilianum, quid tandem inde colligere liceret ei, cui tam lubrica argumenta placent, nisi forte illum hoc auctore esse usum itaque post eum vixisse? Equidem quamnam vim tribuam talibus argumentis in quaestione de aetate scriptoris instituta, ex eis quae in libro meo dixi p. 21 sq. repetere nolo. Quod autem ad ipsum illum de *φιλομουσίᾳ* sui aevi locum attinet, e quo Hadriani tempora Iahnio clare emergere videntur, nescio an scriptoris sententiam non accurate perceperit. Nam recte quidem iudicat, Aristidem Musarum amorem, qui sua aetate fuerit, non videri pro genuino habuisse, sed ironiam apertam inesse in illis verbis, quantum video, Iahnius non agnovit; hoc enim dicit Aristides, sibi ad genuinum artis musicae usum in educandis iuvenibus et moribus per totam vitam excolendis demonstrandum etiam nonnulla ad illud usque tempus in libris non perscripta tradenda esse, cum priorum temporum homines arti musicae initiati praeter ea quae scriptis inserta essent secretiora quaedam familiaribus colloquiis servaverint, iam autem in illo pervulgato Musarum s. musicae amore necesse sit satis habere istarum rerum mediocriter studiosos in librum accurati nihil continentem incidere*). Talia profecto aetate Plutarchi scribi poterant, qui ipse e. c. de mus. c. 27 educatricem musicae rationem prae theatrali omnino neglegi conqueritur, sed idem prorsus similibus verbis etiam Aristoxenus quinto ante illum saeculo desideraverat**). Quid mirum posterioribus Plutarcho temporibus cum haud minore musicae disciplinae cura genuinae naturae eius cognitionem vel minus coniunctam fuisse.

---

*) Aristidis p. 75 extr. haec verba sunt: *ἀλλὰ γὰρ τὰ μὲν αὐτοῖς ἐν συγγράμμασι κατετάττετο, τὰ δ' ἀπορρητότερα ταῖς πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίαις διεσώζετο. αἰτία δ' ἦν ἡ τῶν τότε περὶ τὰ κάλλιστα ὁρμή τε καὶ φιλοχωρία· νυνὶ δὲ τοσαύτης ἐπιπολαζούσης (δεῖ γὰρ εὐφημεῖν) φιλομουσίας ἀγαπητὸν ἔσται τοῖς μετρίως ἐπιμελέσιν, εἰ βίβλῳ οὐ σαφές τι περιεχούσῃ περιπέσοιεν.*

**) Plut. de mus. c. 27: *ἐπὶ μέντοι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τοσοῦτον ἐπιδέδωκε τὸ τῆς διαφθορᾶς εἶδος, ὥστε τοῦ μὲν παιδευτικοῦ τρόπου μηδεμίαν μνείαν μηδ' ἀντίληψιν εἶναι, πάντας δὲ τοὺς μουσικῆς ἁπτομένους πρὸς τὴν θεατρικὴν προσκεχωρηκέναι μοῦσαν.* — Aristox. ap. Athen. XIV. p. 632 B: *οὕτω δὴ οὖν καὶ ἡμεῖς, ἐπειδὴ καὶ τὰ θέατρα ἐκβεβαρβάρωται καὶ εἰς μεγάλην διαφθορὰν προελήλυθεν ἡ πάνδημος αὕτη μουσική, καθ' αὑτοὺς γενόμενοι ὀλίγοι ἀναμιμνησκόμεθα οἵα ἦν ἡ μουσική.*

Ultimum, non levissimum argumentum ad meam de Aristidis aetate sententiam fulciendam continent ea quae de Eusebii et Florentii amicorum, quibus opus suum inscripsit, nominibus dixeram, quae in tertium demum saeculum cadere mihi visa sunt. Speraveram fore ut viri docti harum rerum peritiores hanc quaestionem denuo explorarent; sed neminem reperi qui hoc negotium in materia recentissima memoria tantopere adaucta susciperet, nisi quod Roeperus loco supra allato brevi post meum librum editum tempore eius mentione non facta scripsit, illa nomina ad aetatem Quintiliano rhetori proximam non pertinere. Iam Iahnio obloquente rem iterum et paullo accuratius persequi cogor, cum ille etiam hac in re non tantum diligentiae meis argumentis recensendis adhibuerit, quantum exspectare poteram a viro non vulgari doctrina instructo, et nunc etiam ab eis flagito, quos supplendae meae quaestioni operam dare velim. Nam licet iam multo plura de nominibus Romanorum per diligentiam virorum in hac antiquitatum parte, quae inscriptionum collectarum copia ad clariorem lucem adducta est, versatorum cognita habeamus*), quam eo tempore, quo illum librum edidi, tamen nondum erroris convictum me profiteri possum. Disputationis igitur meae summa haec erat: *Eusebii* nomen posteriore aetate satis usitatum vix ante saeculum tertium reperietur, et apud Christianos primum in usu fuisse videtur; quod ad scriptores profanos attinet, saepius inter sophistas qui dicuntur et Neoplatonicos quarti saeculi exstat, et saepissime quidem in Libanii, qui quarto saeculo vixit, epistolis non minus quam Florentii nomen**). Hinc negavi quidem statim colligendum esse, Aristidem eodem quo Libanium tempore vixisse, eiusque socios inter ipsos illos, quibuscum Libanius commercium habebat, esse quaerendos; attamen cum vel ipsum *Florentii* nomen non videatur ante saeculum tertium reperiri et fortasse ne ante Libanium quidem, tutissimum videbatur non ultra illud saeculum recedere. Quanquam nunc ne eum quidem nimiae audaciae accusarem, qui vel in quartum saeculum ad Iamblichi fere aetatem illum deprimeret cum Westphalo, cuius praeterea iudicium de Aristide nimis fastidiosum nunc non magis quam olim collaudo. Atque de nominis Eusebii forma ipsa observavi, adiectivorum formam in — ιος exeuntium, quae ab aliis adiectivis derivata sunt, in nominibus graecis ad antiquiorem certe aetatem minus videri pertinere.

*) Satis habeo h. l. Marquardti librum supra commemoratum p. 7 sqq. laudare.

**) De utroque nomine in Libanii epistolis occurrente iam cf. index libri a G. R. Sievers conscripti das Leben des Libanius. Berlin. 1868, et de viris maxime spectatis qui haec nomina gerebant ib. p. 219. 221.

Priusquam ad Florentii nomen progrediamur, audiamus quid de Eusebio Iahnius p. XXXI respondeat: »Eusebii nomen, quod Caesar apud Christianos demum neque ante seculum III in usum venisse opinatur, iam ἐθνικὸν fuit, non minus quam nomina Τιμόθεος, Θεόφιλος sim. .... Exstant apud Io. Stobaeum Eusebii cuiusdam fragmenta, ionica dialecto scripta et potissimum ad morum doctrinam spectantia. Quem quidem auctorem Heerenius Comment. de fontibus Eclogarum Io. Stobaei (Eclog. phys. et eth. II, 2) p. 198 eodem errore, in quem Caesar incurrit, Christianum propter nomen videri posse opinatur; attamen idem, a se ipse dissentiens, propter epicteteae doctrinae vestigia in Eusebii fragmentis obvia recte suspicatur, eum ex Stoicorum, ipsius forte Epicteti schola, prodiisse. Omnino perparum verisimile est, Christianum fictitia dialecto ionica de morum doctrina scripsisse. Huc accedit, quod Eusebii nomen etiam invalescente religione christiana apud gentiles in usu permansit; nam certe gentiles fuere ... Eusebius rhetor, unus ex Macrobii interlocutoribus in Macrobii Saturnalibus, et Eusebius medicus laudatus a Symmacho«. — Egone negaverim, homines graecos a pietate nomen duxisse? an gentiles fuisse Eusebios? qui nihil aliud dixi, nisi apud Christianos illud nomen *primum* videri in usu fuisse. Atque de Eusebio illo Stobaei, quem contra me profert, ut nomen ad antiquiorem aetatem pertinere testimonio luculento evincat, contra Heerenii auctoritatem in partem mihi vocare liceat Zellerum l. l. p. 729 sq., qui eis, quae de Eusebio Neoplatonico post Iamblichum vivente dicta sunt, haec addit: »Die zahlreichen Bruchstücke aus Εὐσέβιος, welche Stob. Ekl. II, 412 f. und an vielen Stellen des Florilegiums mittheilt, gehören schwerlich unserem Eusebius; denn theils enthalten diese Ausführungen moralischer Gemeinplätze .... keine Spur von Neuplatonismus, theils weist die jonische Sprache, deren sie sich bedienen, die aber damals in Schriften längst ausser Gebrauch war, darauf hin, dass sie ähnlich, wie die dorisch geschriebenen pseudopythagoreischen Schriften, aus einer viel älteren Zeit herstammen *wollten*, und *dass der Name ihres angeblichen Verfassers erdichtet ist.*« — Quae in inscriptionibus reperiuntur illius nominis exempla, ultra tertium saeculum non videntur recedere; alia autem est ratio nominis feminarum a substantivo abstracto εὐσέβεια s. εὐσεβία deducti, quod e. c. exstat in titulo Corp. Incr. Graec. n. 4683 fere ad a. 180 p. Chr. referendo.

Iam redeamus ad *Florentium*, cuius nomen omnium minime cum Plutarchea aetate convenire nobis videbatur. Nullum dixi a me repertum esse Florentium saeculo tertio priorem, et vix ad hoc saeculum certum eius exemplum referri posse. Addidi observationem latius patentem, quam iterum hominum harum rerum

peritorum iudicio vel meliori notitiae subiicio. Omnia personarum nomina latina in — entius et — antius exeuntia, ***quae quidem a participiis derivantur***, ad hanc demum aetatem pertinere videntur, quorum exempla in medium protuli et nonnullis aucta denuo profero haec: Amantius, Constantius, Crescentius, Decentius, Exsuperantius, Florentius, Fulgentius, Gaudentius, Infantius, Innocentius, Lactantius, Licentius, Lucentius, Placentius, Pollentius, Praesentius, Providentius, Prudentius, Serpentius, Venantius, Vigilantius, Vincentius, Viventius. Analogiam quidem ea sequi concessi nominum localium antiquiorum, qualia sunt Consentia, Constantia, Faventia, Fidentia, Florentia, Placentia, Valentia, alia, et gentiliciorum (quorum ipsorum magna certe pars e veteribus locorum nominibus in — ntum exeuntibus originem ducere videtur) vel ad eorum similitudinem formatorum, ut Auxentius, Calventius, Carentius, Cluentius, Iuventius, Laurentius, Magnentius, Maxentius, Pisentius, Terentius, Valentius (in quibus sunt, quae et ipsa propter formam quidem e participiis possint orta videri), denique formae in — ius exeuntis ex adiectivis oriundae ipsis non minus quam participia inter nomina propria receptis, quae in graecis quidem nominibus inferiori aetate magis quam antea videbatur invaluisse. Sed non pari loco ponendum esse dixi horum usum cum eis, quae ab ipsis locorum nominibus in — ntia cadentibus derivantur, ut eorum incolas aut inde oriundos designent, quo fit ut e. c. Florentini nomen ad priorem aetatem pertineat et saepius reperiatur quam Florentii; quod non ita velim accipi, ut formam — inus etiam alia derivatione ex ea quae in — ius cadit originem ducere videar negare. Neque id praetermittendum est, gentilicia nomina ex eisdem quae dixi locorum nominibus sumpta esse forma non immutata, ita ut Florentius etiam ab urbe Florentia, non a participio, nomen accipere potuerit quasi gentilicium, modo certa vestigia prioris usus a personae natura et moribus non repetendi exstarent. Facile ferrem errorem in uno alterove nomine a me commissum, nam vel sic illa observatio haud parvam ob multitudinem exemplorum vim retineret. Velut Valentium non debebam inter illa exempla posterioris aevi proferre, cum iam Ciceronis aetate exstet (cf. act. in Verr. sec. III, 37. IV, 26), ita ut secundum gentiliciorum potius quam illorum, quae a participiis ducuntur, normam formatum esse videatur; quanquam idem nomen, quod antea in usu fuerat ab urbe derivatum, etiam postea quasi denuo oriri poterat e nova stirpe Valentis, qui a participio epitheton acceperat. Neque Calventios tanquam calventes appellatos esse concesserim, quod nomen gentile quin ad exeuntis reipublicae tempora pertineat et propter Ciceronem et propter titulos antiquos non est dubium, verum ne romanum quidem fuisse videtur, sed

gallicum, cum ex Insubris cuiusdam familia in Pisonianam id traductum esse e Ciceronis in Pisonem cavillationibus appareat. Sed cum certiora, quam statuere potuimus, nos edoceri animo facili et lubenti exspectemus in re nondum satis illustrata, videamus, quibus argumentis Iahnius nos refellat. Et Florum quidem, quem mihi opponit, non est quod contentis viribus semoveam, ubi cum Florentio mihi res est. »Florentii autem nomen«, ait, »quamvis non congenerum, at geminum tamen est notis in Republica romana nominibus Cluentii, Terentii, Iuventii, quorum duo postrema in Imperio romano perduraverunt (cf. Terentii, laudati ab Aimerichio .. et P. Iuventius Celsus, Ictus a. 129 ..«); sed plane eiusdem generis haec sunt nomina: ***Iubentius*** ap. Plin. 4 [leg. 6], 5 p. 207 Gesn., ubi variatur ***Iuventius*** (Gesnerus scite: »***Iubentius*** haberet formam ***Vincentii*** et ***Venantii*** et ***Vigilantii*** etc.«); ***Licentius***, quod fuit nomen poetae, qui sub Hadriano floruit«. At id ipsum data opera prohibere mihi visus eram, quo minus in eundem ordinem illa nomina cogerentur, qua in re temerario me usum esse iudicio, demonstrandum erat. Et Cluentii Terentiique quidem nomina Iahnius ipse non videtur ad participia referre, ut a cluendo et terendo deriventur, cum Iuventium cum eis componat. Quod autem nescio quem Iubentium contra me affert e Plinii epistolis depromptum, in mira versatur rerum confusione, cum Plinius l. l. eiusdem illius Iuventii Celsi praetoris mentionem faciat, quem Iahnius a. 129 consulem fuisse recte significat, ita ut depravatam nominis lectionem commendare nimiae sit levitatis. Licentium autem poetam ut Hadriani aevo vindicaret, testes genuini adhibendi erant, non Aimerichii Itali specimen vet. rom. litteraturae Ferrarae a. 1784 editum, in quo nullo allato testimonio haec leguntur: »Licentius alter Poeta, qui sub Adriano Imperatore floruit«. Equidem sedulo quaerens nullum aliud Licentii poetae vestigium reperi praeter Tagastinum illum, qui sub finem saeculi quarti carmen ad Augustinum praeceptorem misit (cf. Wernsdorf poet. lat. min. IV, 2. p. 506 sqq. Teuffel Gesch. d. röm. Liter. ed. III. § 448), et cuius fortasse cognatum Claudium Licentium flaminem perpetuum in titulo Africano deprehendimus (Corp. Inscr. Lat. VIII, 1. N. 2403), quem paullo ante a. 367 exaratum esse a Mommsenio (Ephem. epigr. III, p. 79) demonstratum est. Itaque de priore Licentio dubitari licebit, atque hoc ipsum nomen exemplis ad inferiorem aetatem pertinentibus merito adiungetur. Sed cautione in hoc iudicio opus esse probe scio, qui quantopere onomatologus latinus post absolutum demum inscriptionum corpus exspectandus desideretur in talibus disquisitionibus, cum molestia mea haud exigua senserim.

Iam hac quaestione iterum pertractata argumentorum meorum non eam esse vim profiteor, ut singula separatim impugnata infringi nequeant, sed uno velut sagittarum fasce comprehensa eam quam olim tuli sententiam munire videntur, Aristidem Quintilianum ad priorem tertio p. Chr. saeculo aetatem non esse revocandum. Qua in re quod novi editoris disputatio mihi non satisfecit, eo non adducor ad operam, quam in reficiendis Aristidis libris collocavit, minoris aestimandam, cuius fructus etiam uberiores redundaturos exspectamus absoluto toto opere, cum de multis rebus ante editum commentarium criticum et exegeticum certum iudicium ferri nequeat; in quibus etiam ea quaestio habenda est, an graeci sermonis apud Aristidem usus tantopere a sophistarum quarti saeculi genere dicendi recedat, ut necessitate quadam ad aetatem duobus saeculis antecedentem trahamur.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GUILELMUS SCHEFFER, theol. et phil. Dr. huiusque P. P. O., Augustissimo Regi in senatu ecclesiastico a consiliis supremis, dioeceseos Marburgensis reformatae superintendens, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco nec non coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice examinatorium de rebus ad theologiam practicam* pertinentibus habebit; 2) *privatim historiam ethices christianae* bis per hebdomadem docebit.

ERNESTUS RANKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a) exercitationes* seminarii theologici *ad Novum Test. spectantes* moderabitur die Iovis h. VI—VIII, *b) Veteris Test. vaticinia messiana* interpretabitur die Mercurii et Saturni h. IX; 2) *privatim epistolam ad Hebraeos datam* explicabit quaternis scholis h. IX.

FRANCISCUS EDUARDUS CHRISTOPHORUS DIETRICH, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice cantica graduum quae dicuntur (ps. 120–134)* semel per hebdomadem die Saturni h. XII interpretabitur; 2) *privatim Hoseae prophetae vaticinia* ternis p. h. scholis, die Lunae, Mercurii, Iovis, h. XII illustrabit.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, 1) *publice canonis Novi Testamenti historiam* explicabit bis per hebd. h. X; 2) *privatim evangelia synoptica* interpretabitur quinquies per hebd. h. IX; 3) *privatissime* et *gratis* in societate exegetica *epistolas Paulinas minores* tractandas proponet die Mercurii h. X.

THEODORUS BRIEGER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice a)* enarrabit *historiam ecclesiasticam recentiorem inde ab a. 1750* d. Martis et Veneris h. XII, *b) exercitationes historicas seminarii theologici* moderari perget die Veneris h. VI—VIII; 2) *privatim* enarrabit *historiae ecclesiasticae partem I.* quinquies p. h. hora XI.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, ordinis theologorum h. a. decanus, 1) *publice* in seminario theologico *exercitationes systematicas* moderabitur die Martis h. VI—VIII; 2) *privatim a) theologiae dogmaticae priorem partem* docebit quinquies per hebd. h. XII, *b) theologiam symbolicam* docebit quinquies per hebd. h. XI.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *ad Vetus Test.* pertinentes moderabitur die Lunae h VI—VIII; 2) *privatim criticam in Vet. Test.* introductionem exhibebit quinis per hebd. diebus h. X.

ERNESTUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *homileticas* die Mercurii h. III—V, *catecheticas* die Saturni h. X—XII una cum interpretatione *practica Luc. cap. IX, 51 — XIX, 27* moderabitur; 2) *privatim a) theol. practicae partem II.* sexies hora VIII, *b) theologiam pastoralem* seu interpretationem *epistolarum pastoralium* die Martis Iovisque hora III docebit.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

GEORGIUS EDMUNDUS CONRADUS KESSLER, philos. Dr. theol. Licent., 1) *gratis de Iobi libro* disseret die Mercurii h. III; 2) *privatim librum Geneseos* explicabit quater per hebd. h. III.

CAROLUS HENRICUS CORNILL, phil. Dr. theol. Lic., seminarii Philippini repetens, *privatim Isaiae vaticinia* interpretabitur quinquies per hebd. hora II.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS GUILELMUS ROESTELL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinum aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice speculum saxonicum* interpretabitur die Sat. h. XI; 2) *privatim* docebit *ius ecclesiasticum* quinquies h. V.

GUILELMUS ARNOLD, I. U. et Oec. Publ. Dr., P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et Philippi magnan. Hassiaci I. cl. eques, leget, 1) *publice ius cambiale* diebus Saturni h. XII; 2) *privatim ius germanicum privatum* quinquies per hebd. h. XII.

CAROLUS FUCHS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Augustissimo Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. II. cl. cum fronde quernea eques, 1) *publice processum concursus creditorum imperii germanici* semel h. XI; 2) *privatim processum criminalem imperii germanici* quater h. XI profitebitur.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis iurecons. h. a. decanus, 1) *publice* disseret *de iure familiae* diebus Mercurii et Saturni h. XI; 2) *privatim* docebit *ius hereditarium Arndtsio duce* quater per hebd. h. XI; 3) *privatissime* instituet *a) examinatorium de iure pandectarum cum exercitationibus* quaternis scholis hora audituris commoda in seminario iuridico, *b) examinatorium de historia iuris romani privati* binis scholis hora audituris commoda.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, academiae h. t. rector, 1) *publice selectas quasdam materias pandectarum* die Saturni h. IX et X docebit; 2) *privatim a) doctrinam pandectarum* quinquies per hebd. h. IX et X, *b) institutiones iuris romani* quater per hebd. h. XII tradet.

IUSTUS BERNHARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice ius publicum confoederationis americanae* semel h. IV narrabit; 2) *privatim* docebit *a) ius germanicum ad administrationem publicam spectans* ter h. IV, *b) ius publicum germanicum* quinquies h. V.

FRANCISCUS EDUARDUS DE LISZT, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice* disseret *de teleologia in iure criminali* die Mercur. h. VI p. m.; 2) *privatim* docebit *a) ius criminale germanicum* sexies dieb. Mercur., Iovis, Vener. h. X—XII, *b)* in seminario iuridico instituet *exercitationes processus civilis et criminalis* die Martis h. V—VII.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr. et P. P. E. docebit, 1) *publice ius maritimum* h. X die Mercurii; 2) *privatim a) ius mercatorium* quin. dieb. h. XI, *b) historiam iuris germanici* quat. dieb. h. III aut IV.

ADOLPHUS FRANTZ, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice ius matrimonii* semel per hebd. h. X tractabit; 2) *privatim a) ius ecclesiasticum* quater per hebd. h. X docebit, *b) ius gentium* bis per hebd. h. XI leget.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. IV—VI instituet.

BERNHARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. III—V instituet.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS FRIDERICUS DE HEUSINGER, med. et phil. Dr., med. P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordin. coron. Boruss. II. cl. cum stella, elect. Guil. aliorumque eques, docebit 1) *publice evolutionem scientiae medicae in Germania* die Sat. h. II; 2) *privatim historiam medicinae litterariam* h. I.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice* offert *repetitorium et examinatorium de sensuum physiologia* h. III die Saturni; 2) *privatim physiologiam generalem* hora commoda binis scholis docebit.

GUILELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, ord. med. h. a. decanus, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim a) de operationibus* quinquies h. VIII disseret, *b) clinicen chirurgicam* diriget h. IX.

RUDOLPHUS DOHRN, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et xenodochii obstetricii director, ord. aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice de vitiis pelvis* disseret semel per hebd.; 2) *privatissime a) clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. XII, *b) operationes obstetricias* demonstrabit horis posthac definiendis.

NATHANAEL LIEBERKUEHN, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice de historia generationis atque evolutionis hominis* die Veneris h. V—VII disseret; 2) *privatim anatomiam corporis humani* quinquies per hebd. h. X docebit, *b) exercitationes anatomicas* moderabitur quotidie h. IX—XII et h. II—IV.

FRIDERICUS GUILELMUS BENEKE, med. Dr. et P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquil. rubr. reg. Boruss. IV. cl. eques, aliisque ordinibus adscriptus, 1) *publice* instituet *conversatorium medicum, imprimis respiciens balneologiam et climatologiam* die Saturni h. VI—VII et dim.; 2) *privatim* docebit *a*) *physiologiam pathologicam (pathologiam generalem) nec non aetiologiam sanitatisque publicae tuendae doctrinam* sexies per hebd. h. v, *b*) *anatomiae pathologicae et pathogeneseos partem alteram* dieb. Lun., Merc., Ven. et Saturn. h. II.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen et policlinicen medicam* h. x et dimid. — XII moderabitur.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis coronae Boruss. IV. cl. cum gladiis eques, 1) *publice de arte ophthalmoscopii* disseret die Veneris h. IV; 2) *privatissime* *a*) *clinicen ophthalmiatricam* moderabitur die Martis, Iovis h. XII—I, die Saturni h. x et dimid. — XII, *operationes* horis posthac definiendis, *b*) *cursum ophthalmoscopiae* instituet bis h. IV.

RUDOLPHUS BOEHM, med. Dr, pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacol. director, ordinum Russic. Annae et Stanislai II. cl. eques, 1) *publice examinatorium de pharmacologia* instituet die Sat. h. VIII; 2) *privatim* docebit *a*) *pharmacotacticen et artem formulas medicas scribendi* ter h. v, *b*) *diaeteticen* bis h. v; 3) *privatissime* et *gratis experimenta pharmacologica* moderabitur.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, 1) *publice psychiatriam propaedeuticam* tradet semel p. hebd. hor. IV; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. V—VII.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, 1) *publice* offert *examinatorium de rebus physiologicis* semel per hebd.; 2) *privatim* *a*) *physiologiae experimentalis primam partem* quinquies p. h. h. XI docebit, *b*) *physiologiam organorum sensuum* bis p. h. h. XII tradet.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice syndesmologiam* die Veneris h. XI tradet; 2) *privatim osteologiam* diebus Lunae, Martis, Iovis docebit h. XI.

HENRICUS HORSTMANN, med. Dr. et P. P. E., Augustissimo Principi a sanitatis publicae tuendae consiliis, physicus Marburgensis, ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de zoonosis* et *epizootiis* singulis scholis p. hebd. disseret; 2) *privatim* *a*) *medicinam publicam* quaternis scholis per hebdom., *b*) *medicinam forensem iis, qui iurisprudentiae operam dant*, ternis scholis p. hebdom. tradet.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., cruce ferrea decoratus, 1) *publice repetitorium gynaecologiae* una hora instituet; 2) *privatim theoriam partus* quinquies per hebdom. tradet.

MAXIMILIANUS SCHOTTELIUS, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice anatomiam pathologicam tumorum* semel per hebd. docebit; 2) *privatim cursum histologiae pathologicae* quaternis scholis per hebd. instituet; 3) *privatissime* et *gratis* moderabitur *perscrutationes pathologico-anatomicas* eorum, qui profundius in studia pathologica intrare velint.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet; 2) *privatim operationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., *privatim de morbis infantum* disseret ternis scholis h. VIII matut.

AEMILIUS GASSER, med. Dr., *privatim histologiam hominis* quater per hebd. docebit.

ERNESTUS FRERICHS, med. Dr., 1) *privatim electrotherapiam* docebit bis per hebdom.; 2) *privatissime artem aegrotos percutiendi et auscultandi* adiunctis *exercitationibus practicis* quater per hebdom. hor. IV docebit.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de curvarum punctis singularibus aliisque quaestionibus geometricis ope calculi differentialis resolvendis* disseret dieb. Merc. h. XI—I; 2) *privatim* *a*) *analyseos partem alteram, qua de calculo integrali agitur*, quinis scholis h. IX tradet, *b*) *solitas auditorum exercitationes circa problemata ab ipsis solvenda* moderabitur dieb. Sat. h. IX—XI.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. et phil. Dr. et chemiae pharm. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice examinatorium de chemia et pharmacia* instituet; 2) *privatim chemiae experimentalis partem primam* sexies h. IX docebit; 3) *privatissime exercitationes chemicas* more solito diriget.

GUILELMUS DUNKER, philos. Dr., mineralogiae et geologiae P. P. O., instituti geologici et palaeontologici academici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum metallicarum consiliis, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl., Philippi magnanimi Hassiaci et Petri Friderici Ludovici Oldenburgensis I. cl. eques, 1) *publice de plantis fossilibus* disseret die Sat. h. X; 2) *privatim palaeontologiam* tradet *praesertim ratione habita Molluscorum, Echinodermatum et Coralliorum* quater per hebd. h. X; 3) *privatissime exercitationes* instituet *practicas et geologicas et palaeontologicas* horis postea statuendis.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice introductionem* tradet *in studium scientiarum politicarum et cameralium* semel p. h. die Merc. h. IX; 2) *privatim oeconomiam politicam* docebit quater p. h. die Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

ERNESTUS ADOLPHUS HERRMANN, philos. Dr. et hist. P. P. O., ord. aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes historicas* bis moderabitur; 2) *privatim historiam universalem inde ab a. 1660 usque ad a. 1789* enarrabit quaternis scholis h. xii.

ALBERTUS WIGAND, philos. Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti pharmacognostici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice logicen in rebus naturalibus* tractabit die Merc. h. iv; 2) *privatim a) historiam plantarum cryptogamarum* docebit h. ii quaternis diebus, *b) pharmacognosiam* tradet quinquies per hebd. h. iii; 3) *privatissime a) exercitationes in usu microscopii* moderabitur h. xi—i bis per hebd.; *b) practicum pharmacognosticum* instituet h. ii—iv die Sat.

CAROLUS IULIUS CAESAR, philos. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologici director, bibliothecae academicae praefectus supremus, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a)* seminarii philologici sodalibus *Vergilii Bucolica* interpretanda proponet ceterasque exercitationes solito more moderabitur binis scholis h. x, *b) antiquitates Graecorum sacras* d. Merc. h. ix—xi explicabit; 2) *privatim historiae graecarum literarum* partem alteram tradet quinis scholis h. ix.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologici director, 1) *publice a)* seminarii philologici sodalibus *Aristotelis Ethicorum Nicomacheorum librum quartum* interpretandum proponet ceterasque exercitationes moderabitur bis h. x, *b) Demosthenis orationem de corona* interpretabitur d. Sat. h. xi; 2) *privatim antiquitates Graecorum publicas* enarrabit quater h. xi.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, 1) *publice* leget *de phaenomenis polarisationis lucis* die Merc. h. xi; 2) *privatim* leget *physices experimentalis secundam partem ad phaenomena magnetismi, electricitatis, caloris et soni spectantem* h. viii quinquies; 3) *privatissime* reget *exercitationes physicas practicas* una cum prof. extraord. Feussner per quatuor dies h. ii—v.

CAROLUS DIETZEL, philos. Dr. et polit. scient. P. P. O., 1) *publice de teloniis* semel per hebd. disseret; 2) *privatim redituum publicarum doctrinam* docebit quater per hebd.

CAROLUS LUCAE, philos. Dr., theodiscarum et linguarum et litterarum P. P. O., seminarii germanici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a)* seminarii germanici *exercitationes* moderabitur d. Sat. h. x, *b) carmina Waltheri Vogelweidensis* interpretabitur semel per hebd. die Merc. h. x; 2) *privatim grammaticam theodiscam* docebit quaternis per hebd. scholis d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. x.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparativae et philologiae germanicae P. P. O., 1) *publice historiam scripturae* enarrabit dieb. Mart. et Ven. h ii; 2) *privatim phonologiam linguarum indogermanicarum* tradet quaternis scholis h. iii; 3) *privatissime* sed *gratis a) linguae sanscritae elementa* docebit dieb. Lunae et Iov. h. ii, *b) poëtas persicos* interpretandos proponet die Mercurii h. ii.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur; 2) *privatim historiam philosophiae inde a Kantio* tradet ter per hebd. h. v.

RICARDUS GREEFF, med. et philos. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, 1) *publice de itineribus explorandarum rerum naturalium causa, imprimis zoologicarum factis* disseret d. Lun. h. vi; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam animalium vertebralium* docebit dd. Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. v.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et literarum recent. P. P. O., seminarii romanico-anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii romanico-anglici* moderabitur quatern. per hebd. scholis h. xii; 2) *privatim a) scenicae poesis apud Gallos historiam* tradet quatern. per hebd. scholis h. xi, *b) grammaticae franco-gallicae selecta capita* tractabit bis per hebd. h. xi.

CONRADUS VARRENTRAPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice a)* proseminarii historici *exercitationes* moderabitur semel h. vi, *b) res annis 1814 et 1815 gestas* enarrabit semel h. iv; 2) *privatim historiam borussicam* tradet quater h. iv.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice repetitorium de chemia anorganica et theoretica* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem primam i. e. chemiam anorganicam* quinquies h. ix tradet, *b) exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur quotidie ab h. ix ad h. v.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice de Schilleri philosophia* disseret d. Merc. h. v; 2) *privatim logicen et theoriam cognoscendi* docebit quater per hebd. h. v; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes philosophicas* moderabitur binis horis.

IOANNES IUSTUS REIN, philos. Dr., geographiae P. P. O., ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et leonis Zaring. Bad. II. cl. eques, ordinis philos. h. a. decanus, 1) *publice exercitationes geographicas* moderabitur d. Merc. h. ii; 2) *privatim a) orographiam et hydrographiam* tradet ter per hebd. h. viii, *b) Americae geographiam* docebit ter per hebd. h. viii.

EUGENIUS BORMANN, phil. Dr., historiae antiquae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea milit. dec., 1) *publice* seminarii historici *exercitationes ad antiquam aetatem pertinentes* moderabitur die Mercurii h. vi—viii; 2) *privatim prolegomena in historiam antiquam* tradet quater p. h. h. xii.

FRIDERICUS KLOCKE, philos. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineral. acad. director, 1) *publice exercitationes practicas crystallographicas* moderabitur die Sat. h. xi—i; 2) *privatim mineralogiam* tradet quinquies per hebd. h. xii, 3) *privatissime* reget *exercitationes practicas in laboratorio mineralogico* quotidie ab hora ix ad h. v.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* instituet *exercitationes analytico-geometricas* semel p. h.; 2) *privatim* leget *a) geometriae analyticae partem alteram* quinis scholis h. x, *b) de functionibus ellipticis* trinis scholis hora posthac definienda.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice selecta altioris analyseos capita tractabit* die Mercurii h. v—vii; 2) *privatim a) alteram algebrae partem sive aequationum, quibus complures continentur quantitates definiendae, et determinantium theoriam* explicabit quaternis scholis h. xi, *b) calculum variationum* docebit ter per hebd. h. xii; 3) *privatissime* sed *gratis exercitationes algebraicas* instituet die Merc. h. xi.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice a) exercitationes archaeologicas* moderabitur semel h. p. i.; 2) *privatim historiam artis antiquae* tradet d. Mart. Iov. Ven. h. xii.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., bibl. acad. custos, 1) *publice exercitationes circa problemata mechanica solvenda* moderabitur d. Sat. h. VIII; 2) *privatim a) mechanices analyticae partem alteram* quinquies h. VIII, *b) physices theoreticae partem alteram* quater h. IX docebit; 3) de *exercitationibus physicis practicis privatissime* moderandis cf. quae prof. Melde indixit.

MAXIMILIANUS LENZ, phil. Dr., hist. P. P. E., seminarii historici director, 1) *publice* seminarii historici *exercitationes* semel p. h. moderabitur die Iovis h. VI, *b) foederis Smalcaldiani historiam* semel tradet; 2) *privatim historiam medii aevi in aevum recens transeuntis* enarrabit quater p. h. h. IX.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice a) de emendatione et interpretatione artis grammaticae partibus* disseret bis p. h. h. III, *b)* in proseminario philologo *Senecae apocolocyntosin* interpretandam proponet, *exercitationes* reliquas adiunget bis p. h. die Merc.; 2) *privatim Horati carmina* enarrabit, praefanda praefabitur ter p. hebd. h. III.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS MOESTA, phil. Dr., 1) *gratis de instituendis quaestionibus quomodo res geologicae tabulis inscribendae sint* leget bis per hebd.; 2) *privatim a) geologiam universalem* quinquies p. hebd. h. XII, *b) mineralogiam* ternis scholis docebit.

CONRADUS KESSLER, phil. Dr. theol. Licent., praeter scholas theologicas, 1) *gratis Phoenicum atque reliquorum Semitarum paganorum religiones cultusque* enarrabit diebus Merc. atque Sat. h. XII; 2) *privatim linguae arabicae grammaticam* tradere incipiet ter per hebd. h. XII.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., 1) *gratis historiae chemiae pt. I.* semel enarrabit; 2) *privatim chemiam theoreticam* quater docebit.

MAXIMILIANUS KOCH, phil. Dr., 1) *gratis de Shakespearii comoedia* die Mercurii disseret; 2) *privatim historiam litterarum theodiscarum recentium inde ab a. 1700 usque ad a. 1763* tradet quaternis scholis p. h.; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes litterarias* moderabitur singulis p. h. scholis.

BENNO KLEIN, phil. Dr., 1) *privatim geometriam analyticam* docebit quater p. h. h. VI; 2) *privatissime exercitationes analytico-geometricas* moderabitur singulis p. h. scholis.

PAULUS NATORP, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes philosophicas* moderabitur semel p. h; 2) *privatim historiam philosophiae graecae usque ad Platonem* pertractabit ter p. h.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., 1) *privatim* docebit *theoriam mathematicam soni* ternis scholis; 2) *privatissime* sed *gratis colloquium physicum* instituet semel per hebd.

Doctrinam harmonicam OTTO FREIBERG, concentuum musicorum director, semel gratis tradet, idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert. Delineandi et pingendi artem FR. SCHUERMANN docebit, atque doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet. Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.